

CASUS GENETIVUS – ἡ γενικὴ πτῶσις

I. GENETIVUS ATTRIBUTIVUS

GENETIVUS POSSESSIVUS

1. Bonae mentis soror est paupertas. (PETRON. 84)
2. Stulte, quid est somnus, gelidae nisi mortis imago! (Ov. *Am.* 2.9b.41)
3. Id [imbecilitas] non proprium senectutis vitium est, sed commune valetudinis. (Cic. *Sen.* 35)
4. Amicorum sunt communia omnia. (Cic. *Off.* 1.51)
5. **ale:** Omni aetati mors est communis (Cic. *Sen.* 68)

GENETIVUS EXPLICATIVUS

6. Captivorum numerus fuit septem milium octingentorum, qui omnes nudi sub iugum missi. (Liv. 10.36.14)
7. [Cato] quasi cognomen iam habebat in senectute sapientis. (Cic. *Sen.* 6)

GENETIVUS QUANTITATIS

8. Athenis (...) ex aede Minervae grande auri pondus ablatum est. (Cic. *Verr.* 2.1.45)
9. Rerum copia verborum copiam gignit. (Cic. *De orat.* 3.125)
10. Undique ad inferos tantundem viae est. (Cic. *Tusc.* 1.104)

GENETIVUS PARTITIVUS

11. Horum omnium [Gallorum] fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate provinciae longissime absunt minimeque ad eos mercatores saepe commeant atque ea, quae ad effeminandos animos pertinent, important (...) (CAES. *Gall.* 1.1.3)
12. [Hispania] postrema omnium provinciarum nostra demum aetate ductu auspicioque Augusti Caesaris perdomita est. (Liv. 28.12.12)
13. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris. (Cic. *Sen.* 10.34)
14. Ut enim adulescentem in quo est senile aliquid, sic senem in quo est aliquid adulescentis, probo. (Cic. *Sen.* 38)
15. O di immortales! ubinam gentium sumus? quam rem publicam habemus? in qua urbe vivimus? (Cic. *Cat.* 1.9)
16. (...) sed ubicumque terrarum et gentium violatum ius civium Romanorum [est] (...) (Cic. *Verr.* 2.5.143)

GENETIVUS SUBIECTIVUS

17. Vita mortuorum in memoria est posita vivorum. (Cic. *Phil.* 9.10)
18. Nos nostrorum maiorum inventa nosse debere, (Cic. *De orat.* 1.247)

GENETIVUS OBJECTIVUS

19. Turpis fuga mortis omni est morte peior. (Cic. *Phil.* 8.29)
20. Consuetudo laborum perpersionem dolorum efficit faciliorem. (Cic. *Tusc.* 2.36)
21. Omnino est amans sui virtus. (Cic. *Amic.* 98)
22. [Solutus homo] est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis. (Cic. *Leg.* 1.22)

II. GENETIVUS ADVERBIALIS

GENETIVUS CHARACTERISTICUS

23. Iudicis est semper in causis verum sequi. (Cic. *Off.* 2.51)
24. Cuiusvis hominis est errare; nullius nisi insipientis perseverare in errore. (Cic. *Phil.* 12.5)
25. Non est mentiri meum (TER. *Heaut.* 549)

GENETIVUS MEMORIAE

26. Cum ipse te veteris amicitiae commonefaceret, commotus es? (*Rhet. ad Herenn.* 4.33)
27. Animus meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura providet (Cic. *Div.* 1.63).

Ćwiczenia

1. Multa a Caesare in eam sententiam dicta sunt quare negotio desistere non posset; neque suam neque populi Romani consuetudinem pati uti optime meritos socios desereret, neque se iudicare Galliam potius esse Ariovisti quam populi Romani. (CAES. *Gall.* 1.45.1)
2. Ergo haec quoque hactenus; etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum, quia quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem. (Cic. *Att.* 5.10.4)
3. Huius [Themistoclis] consilio triplex Piraei portus constitutus est isque moenibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate aequiperaret, utilitate superaret. (NEP. *Them.* 6.1)
4. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis, Scaevolae multa in severitate non deerat tamen comitas. (Cic. *Brut.* 149)
5. Resistendum Laeli et Scipio senectuti est eiusque vitia diligentia compensanda sunt; pugnandum tamquam contra morbum sic contra senectutem, habenda ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis, tantum cibi et potionis adhibendum ut reficiantur vires, non opprimantur. (Cic. *Sen.* 36)
6. Est proprium stultitiae aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. (Cic. *Tusc.* 3.74)
7. Ut petulantia, ut libido magis est adulescentium quam senum, nec tamen omnium adulescentium, sed non proborum, sic ista senilis stultitia, quae deliratio appellari solet, senum levium est, non omnium. (Cic. *Sen.* 36)
8. Temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis. (Cic. *Sen.* 20)
9. Et quoniam semper appetentes gloriae praeter ceteras gentis atque avidi laudis fuistis, delenda vobis est illa macula Mithridatico bello superiore concepta quae penitus iam insedit ac nimis inveteravit in populi Romani nomine (...). (Cic. *Man.* 7)
10. [Epaminondas] erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeo veritatis diligens, ut ne ioco quidem mentiretur. (NEP. *Ep.* 3.2)
11. Infirmi animi est pati non posse divitias. (SEN. *Ep.* 5.6)
12. Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui, quae non semper facultas datur. (Cic. *Cat.* 4.19)
13. [Catilina] admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae, compluris periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae (...) (SALL. *Catil.* 21.4)
14. Quem ad modum sapientis est fortuitos casus magno animo sustinere, ita dementis est ipsum sibi malam facere fortunam (COL. 1.3.5)
15. Triste est nomen ipsum carendi, quia subicitur haec vis: habuit, non habet; desiderat requirit indiget. (Cic. *Tusc.* 1.87)
16. Est adulescentis maiores natu vereri exque iis deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. (Cic. *Off.* 1.122)
17. De Theopompo, summo homine, negleximus, qui ubi terrarum sit, quid agat, vivat denique an mortuus sit, quis aut scit aut curat? (Cic. *Phil.* 13.33)
18. Omnino qui rei publicae praefuturi sunt duo Platonis praecepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum, alterum, ut totum corpus rei publicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. (Cic. *Off.* 1.85)